DE LIGIA RESIDENTIÆ
EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ III.
ALIAQUE MONUMENTA,

quibus Capitulum Ex parte 13. *Ext.*

De Clericis non Residentibus

EXPONITUR

PRODEUNT E MSS. INSIGNIS ECCLESIÆ Sancti Martini Turonensis.

M. DC. XCV.

Cum Permissu.

SERENISSIMO PRINCIPI FRANCISCO ARMANDO ABBATI A LOTHARINGIA,

GATIANUS DE GALLICZON Ecclesiæ B. Martini Turon. Canon. ac Præcentor, Socius Sorbon. Doctor Th. P. & U. J.

ECce tibi alia, SERENISSIME PRINCEPS, *ab iis quæ anno superiori mittebam ad Celsitudinem tuam, Ecclesiæ nostræ monumenta. In istis Epistolæ quædam sunt: secunda est rescriptum Innocentii tertii: postrema, Honorii tertii. Hæc quidem aliunde accepta: quare id unum studui, ut eam annotationibus & erutis è tabulario nostro monumentis illustrarem. Opus fortè non ingratum Juris Canonici, cujus pars ipsa est, peritis.*

INDICULUS

MONUMENTORUM AC RERUM.

EPISTOLA

Hamelini Cenomanensis Episcopi, Et P. Abbatis de Persegnia Suo, & Capituli Ecclesiæ B. Martini Turonensis nomine.

Ad INNOCENTIUM Papam III.

Ut definiat quid sit Ligia residentia; quidve cum iis agendum qui Sacerdotes esse nolunt, quamvis sint è septem Dignitatibus Hebdomadariis instar Ecclesiæ Romanæ in B. Martini Turon. Ecclesia institutis. Interim significant statutam à se fuisse in hac Ecclesia Præbendarum partitionem.

I. *Ex Chartulario seu Pancharta alba fol. cxix. scripturâ annorum circiter 400.*

BEatissimo Patri & Domino Reverendissimo INNOCENTIO Dei gratiâ summo Pontifici, Hamelinus divinâ permissione Cenomanensis Ecclesiæ Minister humilis & P. Abbas Persegniæ, & tam pronam quam debitam cum omni reverentia obedientiam.

Gal. perseigne *O. Cist. Diœc. Cenoman*

Placuit Sanctitati vestræ, parvitati nostræ, & quondam Magistro Guarino Angeli, scribendo dare in mandatis, quod nos accedentes ad Ecclesiam Beati Martini Turonensis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quæ ibidem videremus corrigenda, authoritate vestra corrigeremus & firmiter observari faceremus. Præmortuo itaque Magistro G. nos pluries ad

eundem locum accedentes juxta formam mandati veſtri debita devotione ac diligentia, habito cum viris ejuſdem Eccleſiæ prudentioribus, & honeſtioribus tractatu & conſilio, quæ vidimus corrigenda, ad honorem Dei, & ipſius Eccleſiæ honeſtatem corrigere curavimus, & in ſcriptis redegimus, quæ & Eccleſia penes ſe reſervat.

Inter hæc autem de reſidentia priorum ac majorum ipſius Eccleſiæ perſonarum, quia de eadem major erat contentio, ſtatuimus & authoritate veſtra præcepimus diſtrictè, quod de cætero priores & majores perſonæ in eadem Eccleſia Ligiam reſidentiam, ſicut juraverant, in propriis perſonis facerent; quam tamen, ſicut poſtea, cum ad eundem locum cauſâ orationum divertiſſemus, ab ipſis Canonicis inde nobis graviter conquerentibus didicimus, facere contempſerint, vix ter aut quater in anno ad Eccleſiam illam accedentes, & tunc vix per tres aut quatuor dies ibi commorantes. Pro voluntate ſua, quid ſit Ligiam manſionem facere, voluntariis interpretationibus diffiniunt. Quidam interpretantur ibi Ligiam facere

mansionem, hospitium suum ibi habere, quolibet Serviente ibi nomine eorum remanente: Alii semel, vel secundò, vel tertiò illuc conveniente, licet statim inde recedente: alii aliter interpretantes, rixa, & dissidio dissident quotidiano. Porrò per absentiam eorum, Ecclesiam auxilio, & debito consilio destitutam cognovimus plurimùm aggravari, & multa sustinere incommoda. Unde & nos ipsis posteà scribentes vehementer eos redarguimus, attentiùs consulentes, & mandantes quod, & famæ & conscientiis suis consultè providentes, ad Ecclesiam Beati Martini accederent, & ibi debitam & juratam residentiam facerent: alioquin omittere non possemus, quin hoc vobis significaremus.

Præterea nos exemplis Parisiensis, Carnotensis, Cenomanensis, & aliarum magnarum Ecclesiarum intelligentes, quod per partitionem multa Ecclesiis proveniunt commoda, & earum reditus & possessiones augmentantur; ad instantiam, & de consensu totius Capituli statuimus, quod in eadem Ecclesia fierent partitiones Præbendarum.

Quomodo in Eccl. B. Martini fieret deinceps partitio Prebendarum legitur in lib. ms. consuetudinum hujus Ecclesiæ, paulò ante finem.

6 Ad hoc quia Decanus Ecclesię, & alii

qui de jure secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem Sacerdotes in Ecclesia esse tenentur, & ejusdem Ecclesiæ Hebdomadarii, nolunt in Sacerdotes promoveri, contingit Ecclesiam persæpè à debito cessare Officio. Quippè ad instar Romanæ Ecclesiæ sancti patres antiquitùs statuerunt, quod septem de majoribus Ecclesiæ personis essent Hebdomadarii, quorum quilibet ordine & vice sua, infra septem septimanas, unâ septimanâ ad altare majus Missam quotidiè celebraret solemnem, & per singulas horas diei Officium Sacerdotale celebraret; nec aliquis, qui non esset Hebdomadarius, hoc facere poterat, vel adhuc potest. Sunt autem ex iis Decanus, Præcentor, Magister Scholarum, Subdecanus, Granicarius, Eleemosinarius, Abbas Cormeriacensis, ex quibus Decanus, Præcentor, Magister Scholarum & Granicarius, nec est, nec vult esse Sacerdos; & ideo in septimanis eorum, Ecclesia necessariò cessat à divinis.

Abbatia & oppidum Cormaricense vulgo Cormery *ad Ingerim*, l'Indre *4. aut 5. Leucis Gallicis ad urbe Turonen.*

Pro iis igitur & aliis corrigendis, & ad debitum statum reformandis, & meliùs in posterum observandis; pro interpretatione etiam Ligiæ mansionis facien-

dæ Capitulum Beati Martini, & nos pro Capitulo Beati Martini, & cum Capitulo Beati Martini, ad Sanctitatis Vestræ pedes recurrentes, flexis rogamus genibus, quatenus intuitu Dei, & Beatissimi Confessoris Martini, de plenitudine, potestatis vobis divinitùs collatæ, sanctæ correctionis cum Ligiæ residentiæ interpretatione, manum apponere velitis, facientes in iis omnibus quod vestræ placuerit voluntati.

ANNOTATIONES.

a *HÆC Epistola scripta est post annum* 1205.*fortè ante annum* 1208. *Hamelinus enim & Abbas de Persegnia loquuntur de Statutis à se in hac Ecclesia anno* 1205. *Februarii* 17.*conscriptis, de suscepta deinde in eandem peregrinatione, quin & de literis hùc post suam peregrinationem missis.*

Aliundè verò Galo Cardinalis & Innocentii III. *Legatus ineunte anno* 1208. *prædicta statuta novis confirmavit & explicuit statutis, quorum non meminit hæc Epistola. Prætereà Innocentius III. in suo de Ligiæ residentiæ interpretatione rescripto anni* 1213.*hanc Epistolam jam olim ad se scriptam fuisse apertè significat.*

ex Pancharta alba fol. CXVI. verso & CXVII. *recto, caractere annorum circiter* 400.

b Vetus Capituli B. Martini Turon. Decretum.

De septem hujus Ecclesiæ Dignitatibus Hebdomadariis.

N. Decanus P. Thesaurarius R. Magister Scholarum, Vvillelmus Cellerarius totumque Capitulum Ecclesiæ Beati Martini Turonensis omnibus Christi Fidelibus, Salutem in Domino.

Noveritis Universi quod (cum nobis constaret certissimè quod de antiqua consuetudine & approbata Ecclesiæ nostræ, in Ecclesia nostra deberent esse tantum septem Hebdomadarii Presbyteri, videlicet Decanus, Abbas Cormariacensis, Cantor, Magister scholarum, Subdecanus, Eleemosinarius, Granicarius) quilibet eorum debet facere Hebdomadam suam in ordine vicis suæ, excepto Decano qui solum in quinque diebus Festis, scilicet hyemalis, æstivalis, Natalis, Paschæ, & Pentecostes, hujus ordinis officium exequi debet. Si verò absens sit Decanus, Subdecanus ejus officium ad-

In lib. consuetudinũ tit. de offi. Decani sic legitur, in Nativitate, in Pascha, in Pente-

implebit; ad residuum autem septimanarum ipsius Decani simpliciter tenetur Subdecanus.

Ne verò de cætero exindè aliqua contentio possit oriri, ipsam consuetudinem approbantes, & tenore præsentium confirmantes statuimus ut istud de cætero observetur; addentes etiam statuendo, quod aliquis in Ecclesia nostra de cætero de prædictis septem Beneficiis duo simul non possit habere. Adjectum fuit etiam quod præfata beneficia non possunt conferri nisi Presbyteris, vel talibus qui infra annum possunt esse Presbyteri; & hoc jurabunt in receptione sua, scilicet quod infra annum erunt Presbyteri, nisi cum eis in hac parte à Capitulo fuerit dispensatum. Actum anno Domini M. CC. XX. mense Februario, Cantoriâ & Subdecanatu vacantibus.

coste, in Festo Beati Martini Æstivalis (4. *Julii*) & Hyemalis 11. *Novembris. Vide appendicem, infrà.*

In Scheda, de qua ad duas sequentes Epistolas, his 7. Hebdomadariis ultimo loco jam adjunctus legitur anno 1272. Prior Sancti Cosmæ in Insula prope Turones; quod Cœnobium est Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini anno 1092. institutum à Capitulo Beati Martini Turon. eique jure Ordinario

Pag. 13. infra.

& lege Diœcesana subjectum. Prioratus est Dignitatum Ecclesiæ Beati Martini undecima.

II. *ex Archetypo,*

EPISTOLA.

INNOCENTII PAPÆ III.

Quâ Ligiæ residentiæ interpretatio continetur,

Ad Abbatem & Priorem de Persegnia, Decanumque Cenomanensem.

Ut Ligiam residentiam in Ecclesiâ Beati Martini Turonensis secundum formam, quam præscribit, servandam curent.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati & Priori de Persegnia Cenomanensis Diœcesis, & Decano Cenomanensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum olim ad nostram audientiam pervenisset, quod quidam in Ecclesia Beati Martini Turonensis Personatus & amplos reditus obtinentes, in ea, ut convenit, deservire de suis gloriantes divitiis & nobilitatis titulo, negligebant, licet juramento tenerentur adstricti Ligiam residentiam facere in eadem; Venerabili Fratri nostro Aurelianensi Episco-

po, & dilecto Abbati de Curia Dei dedimus in mandatis, ut cum apud aliquos, quæ deberet intelligi Ligia residentia, in dubio verteretur, ipsi ad eandem Ecclesiam personaliter accedentes, congregato Capitulo, darent operam efficacem, ut de ipsius assensu, id super facienda residentia ordinarent, per quod animarum saluti & eidem Ecclesiæ consuleretur salubriter in obsequio ministrorum: alioquin quid nomine Ligię residentiæ secundum ejusdem & aliarum vicinarum Ecclesiarum consuetudinem deberet intelligi, sollicitè inquirentes, quod invenirent, nobis curarent per litteras suas fideliter intimare. Qui cum super facienda residentia, Canonicis ipsius Ecclesiæ diffidentibus, nihil statuere potuissent, à majori & saniori parte Capituli, recepto ab ipsis corporaliter juramento, & à vicinis Ecclesiis diligentiùs inquirentes quid esset nomine Ligiæ residentiæ intelligi consuetum, omnes ferè, sicut per litteras eorum accepimus, in hoc invenere concordes, quod videlicet illi qui de Ligia residentia exhibent juramentum, in Ecclesia suum tenentur habere hospitium cum fami-

Gal. Cour-Dieu *O. Cist. Diœcess. Aurel.*

Ligia residentiæ interpretatio.

lia competenti, nec alicui possunt alii Ecclesiæ deservire, majoremque moram facere tenentur ibidem, quam in locis aliis universis. Ideoque Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod super hoc per ipsorum est inquisitionem inventum, faciatis in prædicta Ecclesia firmiter observari, contradictores per substractionem beneficiorum, appellatione postpositâ compescentes. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur.

Tu denique, Fili Abbas, super te ipso & credito tibi grege taliter vigilare procures extirpando vitia & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique juxta opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani VII. Calendas Julii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

Anno Christi 1213. die Junii 25.

Hoc rescriptum executioni mandatum fuisse probant tùm hujus Ecclesiæ statuta anno 1263. condita, tùm, quod etiam nunc exigitur, solemne Dignitatum ac Præpositorum jusjuran-

dum, & sequens Epistola ante finem anni 1213. ut videtur, scripta.

EPISTOLA.

III. *ex Pancharta alba* fol. CXVII. *caractere annorum circiter* 400.

Abbatis ac Prioris de Persegnia & Decani Cenomanensis.

Ad Priores, Præpositos, Capicerios & universos qui in Eccl. B. Martini Turon. jurant Ligiam residentiam.

Ut hanc servent secundum formam superioris rescripti INNOCENTII III. quod ad se delatum significant.

A. Divina miseratione Abbas de Persegnia ... Prior ejusdem loci & H. Decanus Cenomanensis Viris Venerabilibus & in Christo Dilectis, Prioribus, Præpositis, Capiceriis & universis qui in Ecclesia beati Martini Turonensis Ligiam jurant residentiam, Salutem in vero Salutari.

Mandatum Domini Papæ recepimus in hunc modum. INNOCENTIUS Episcopus &c. Dilectis Filiis Abbati &c. *ut nunc edito Innocentii III. rescripto.* Hujus ergo authoritate manda-

ti vobis mandamus & diligentiùs monemus, nihilominus vobis authoritate Domini Papæ qua fungimur in hac parte, firmiter injungentes, quatenus quidquid huc usque feceritis de facienda Ligia residentia in Ecclesia B. Martini, de cætero secundum formam Mandati Apostolici in Ecclesia B. Martini Ligiam residentiam faciatis, alioquin sciatis, quod pœna per Dominum Papam taxata transgressorem sacramenti puniemus.

ANNOTATIO.

In hanc & INNOCENTII III. Epistolam postremò editam.

Titulis de officio & potestate *Thesaurarii, Capiceorum, Septimanariorum, Magistri scholæ;&*

IN Ecclesia Beati Martini Turon. erant & modò sunt Dignitates undecim: has infra erant, ut nunc sunt, Præpositi quindecim; erant & quatuor Capicerii qui habebant Justitiam lationum Ecclesiæ, *& cum octo Septimanariis* Justitiam peregrinorum ubicunque essent infra muros, *scilicet urbis Sancti Martini, quæ Castrum novum dicebatur. Ad Capicerios unà cum Septimanariis & infra Septimanarios Matriculariis, qui quatuor sunt, pertinebat in primis altaris nec non B. Martini Sepulchri & Ec-*

clesiæ Thesauri cura. Plura de iis omnibus in Lib. Ms. consuetudinum hujus Eccl. qui est scripturæ annorum amplius 450. in Scheda de qua mox, &c. de morte matriculariorum .... & peregrinorum.

Simul erant & nunc sunt insignes ex ordine tum Ecclesiastico tum Laïco Canonici, qui more Dignitatum in Choro sedent loco nobiliori. De iis in eodem lib ms. consuetudinum & alibi passim; sed & in manus meas incidit Scheda quâ declaratio statûs & honorum ejus Ecclesiæ Philippo Francorum Regi, hujus nominis tertio, anno 1272. porrecta continetur, ubi plerique illorum enumerantur in hunc modum.

Philipus audax *dictus, Remis Rex inauguratus an. 1271.*

CANONICI HONORIS.

SAnctissimus Dominus PAPA, Episcopus prædictus Ecclesiæ Beatissimi Martini.

Rex Francorum, Abbas.

Dux Andegavensis.

Dux Burgundiæ.

Comes Nivernensis.

His adjungendi Comes Flandriæ *ex actis Capitularibus anni* 1467. *mēse Julio.*

Comes Dunensis.

Comes Vindocinensis.

Dux de Parthenaïo.

Comes Elagnensis (*Douglas*) in Scotia, *institutus anno* 1424. *Maii* 17. *ex iisdem actis.*

Dominus de Parthenai *apud Pictones.*

Dominus de Preüilly *apud Turones.*

Dux de Pontiaco.

Tunc Comes Andegavensis erat Carolus S. Ludovici Regis frater, Dux belli fortissimus, & ab anno 1266. Siciliæ Rex. Vide Sammarthanos in historiâ Regiæ Francorum stirpis lib. 18.

Dominus de Pruliaco est propugnator & Canonicus.... Ipse debet portare vexillum Beati Martini cum Comite Andegaviæ in bellis, & facere per se vel per alium bella Capituli B. Martini. *Ita. Lib. ms. consuetudinum. tit. de Propugnatore.*

Archiepiscopus Bituricensis.
Archiepiscopus Senonensis.
Episcopus Pictaviensis.
Episcopus Andegavensis.

His adjungendi Episcopus Leodiensis *in Germania inferiore, institutus anno circiter 963.*

Episcopus Kebechensis *seu Canadensis in America Septentrionali, institutus an.* 1691. *Augusti* 13.

horum plerique suam Præbendam aut ditiorem aut parvam habuerunt, ex eodem lib. Consuetudinum.

IV.

Ex quinta collectione Decretalium à Cironio Juris Professore Tolosano e-

EPISTOLA.

HONORII PAPÆ III.

Ad Præpositum de Valeriis in Ecclesia Beati Martini Turonensis.

Relata Decretalium Gregorii IX. lib. 3. tit. de Clericis non residentibus.

Ne suum de servanda Ligia in Ecclesia Beati Martini

Turonensis residentia jusjurandum violasse putet, cum interdum in sua Præpositura ejusdem Præpositura jura fideliter prosequitur. *dita an. 1645. lib. 3 tit. eodē.*

HONORIUS Papa III. V. [a] Præposito de Valeriis.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod tempore, quo Præposituram de Valeriis recepisti, præstitisti de facienda residentia, [quæ [b] Ligia nuncupatur in [c] Ecclesia Sancti Martini Turonensis, in qua Præposituram eandem obtines,] [d] juramentum: [præstito insuper juramento promittens quod homines & jura ipsius Præpositura manu teneas & defendas. Cum autem prosequendo Præpositura jura residere [e] interdum in Ecclesia memorata non possis, de juramento super ipsa residentia præstito metuens, provideri tibi super hoc à nobis postulasti. Nos verò dicimus] quod, si te non absentando in fraudem, Præpositura tuæ jura fideliter prosequaris, cum ex hoc censeri debeas residens, perjurium non incurris.

a
b
c
d
e

Quæ duobus uncis [ ] comprehenduntur desunt apud Gregorium: Epistolæ tempus incertum. Honorius Innocentio tertio successit

an. 1216. *Iulii* 17. *obiit an.* 1227. *Martii* 18. *aut* 19.

ANNOTATIONES.

I.

De Præpositis.

[a] *PRæpositus de Valeriis, de quo hîc, est Canonicus Ecclesiæ B. Martini Turonensis, hujus Ecclesiæ rebus administrandis ac juribus tuendis Præpositus in Parochiis Medona & Valeriis, quæ ab Vrbe Turonica distant octo circiter leucis Gallicis, à parte Ligeris superiore eâdemque ripâ. Primò ad nutum instituti sunt Præpositi, postea in perpetuum incerto quidem numero; quo definito viginti extitere ac deinde septemdecim, demum quindecim. Sic de eorum institutione in Clarissimi Monsnerii hujus Eccles. Canonici Schedis. Infra Dignitates, supra cæteros Canonicos in Choro hujus Eccl. sedent. Olim in Præposituris suis juri dicendo præfuerunt, nunc judices in iis constituunt: ad Parochiarum verò curam Pastoralem nominant Capitulo; & ad Canonicatus, si qui sint in Præpositura: Præpositis subsunt Majores, Tractarii & Grangerii.*

Præpositura igitur sumuntur vel pro rebus, pagisque ad Ecclesiam B. Martini Tur. perti-

nentibus, quibus regendis curandisque præficiuntur illi Præpositi, vel pro titulo Beneficii ac jure; quo modo Præposituræ Personatus sunt. Tres aliæ sunt inferioris ordinis, quæ Præstimoniariæ dicuntur, & Canonicis, ut priores, competunt. Porrò omnes in Scheda, de qua ad duas superiores Epistolas, ita recensentur. Pag. 13.

OFFICIA IN ECCLESIA sunt Præposituræ, videlicet:

		Gal.
DE Chableis.	*In agro Tornodorensi, Burgundiæ ducatu. Ibi Collegium Canonicorum, de quo in annot.* III. *infra.*	Chablis v. pag. 26.
De Milceyo.	*In agro Cabilonensi, eodem Ducatu.*	Milcy.
De Sodobrio.	*In agro Blesensi.*	Suevre.
De Medona & Valeriis.	*In Diœcesi Carnotensi, Ambasiam versus.*	Mosne. Valieres.
De Varenna. De Oeto.	*Diœcesi Turonensi.*	
De Mahieto.	*Cenomanensi.*	
De Restigniaco. De Andegavia.	*Andegavensi.*	
De Corsayo.	*Turonensi.*	
De Antoniaco.	*Pictaviensi.*	

	De S. Spano.	*Diœc.*	*Turonensi.*
Leré.	De Lereaco.	*In agro Bituricensi : ibi Collegium Canonicorum, de quo etiam infrà.*	
	De Blalayo.	*Diœcesi.*	*Pictaviensi.*
Chalautre.	De Calestria.		*Trecensi.*

Præstimoniariæ.

Gal. *Milan.* De Lombardia. *Chastillon.* De Castellione. *Morignan.* De Morigneio. Infra Octavas Paschæ redduntur omnes Firmæ de Francia, de Lombardia, *&c. ita lib. ms Consuetudinum.*

De rebus... in Regno nostro, Austria, Neustria & Burgundia, Aquitania & Provincia, de omnibus rebus, & facultate ipsius... Sancti Martini, *inquit Carolus Magnus tum* Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, *in diplomate dato in Castro Lauduno, excerpto etiam à Cointio in Annal. Eccl. Franc. ad an. 776.*

Præpositure Annexæ.

Thesaurario, de Domna-Maria.	*Diœc.*	*Senonensi.*
Decano, de Ligolio.		*Turonensi.*

OFFICIA SIMPLICIA.

Senescallus, &c.

* *Dux* de Beauvilliers *apud Sodobrium.*

*PRæpositure in plures Majorias vulgò dividuntur; Majores aliquando sunt * illus-*

tres viri, aliquando judicia exercent: qui infrà sunt, Tractarii debent Ecclesiæ fruges colligere, & quasi ad se trahere; Grangerii verò, segetes custodire: & illi omnes ac Præpositi jurant Capitulo, coram quo Stare juri *tenentur. A Præpositis etiam ad Capitulum appellabant Homines Præpositurarum; utque quolibet biennio quid Ecclesia inPræposituris habeat, quove loco sit, Præpositi scribant & Capitulo denuncient olim constitutum est.*

Formulæ jurisjurandi singulorum.

Statuta ann. 1263 & 1396.

In Ecclesia verò diebus novem Lectionum aliquas legunt, canunt responsoria. I*n Processionibus incipere loco Præcentoris, & ejus, absente Scholæ Magistro, vices diebus festis tum trabea sive Cappa obire jure possunt: Sed & diebus, qui Duplicia vocantur septem aut quinque Candelabrorum, quia totidem candelabra cum cereis accensis ante ministros ad majus altare deferuntur, Diaconi Subdiaconique officio funguntur ex more, quamvis Canonici non sint Præbendati. Alias sileo Ecclesiastici Officii partes. Hæc autem & plura tum in libris Statutorum & Consuetudinum passim, tum in Epistola Alexandri* III. *ad Capitulum data apud S. Germanum, meisque ad hanc anno elapso annotationibus, & alibi.*

Ex libro ms. Consuetudinum. huius Ecclesiæ toties iam laudato, cuius scriptura annorum circiter est 450. *tit.* de Officio & potestate Præpositorũ.

PRÆPOSIT præsentantur à Decano & recepti à Capitulo jurant in hunc modum.

Ego *N.* Præpositus talis loci juro quod fidelis ero Capitulo isti & Ecclesiæ de Hominibus suis, terris, nemoribus, aquis, redditibus, & maxime de his quæ ad Præposituram meam pertinent, nec justitiæ stare in hoc Capitulo, quoties fuero requisitus juxta consuetudinem Ecclesiæ hujus, recusabo; & quod nihil dedi vel promisi, nec alius pro me, me sciente, pro honore isto, & si promissum fuerit non reddam; & quod in hac Ecclesia faciam Ligiam mansionem secundum interpretationem Innocentii Papæ. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta verba.

Et de Ligia mansione hæc est interpretatio. Innocentius *&c.* Dilectis Filiis Abbati *&c. ut suprà, Innocentii III rescripto pag* 8. *Post rescriptum sequitur.*

Præpositi habent Justitias terrarum & Homagia Servientium & Militum, & Procurationes & redditus, sicut dicetur inferiùs. Servientes debent præsentare in *a* domos Priorum, & post in Capitulo, *b* & jurant sicut dicetur; & dant Ecclesias & Præbendas Præpositurarum, & Clericos præsentant similiter ad jurandum.

Ipsi legunt & cantant novem Lectiones & novem Responsoria. In Festis cum Cappis possunt facere officium Cantoris, si Cantor & Magister-Scholæ præsentes non fuerint; & possunt incipere in Processionibus pro Cantore.

De omnibus ad Præposituram pertinentibus debent coram Capitulo respondere: de rebus Capituli debet in Capitulo non coram Præpositis terminari & ventilari: *c* Hominum appellationibus debent eas deferre, & si justè appellant, etiam in Capitulo terminatur; sin autem cum *d* emenda in Præpositorum Curiis revertuntur.

Paganus Gastinellus ejus Eccl. Canonicus, & Consuetudinum libri hujus author preces anniversarias anno 1227. *pro se instituebat instrumento relato in Pancharta alba fol.*cxxvi. *in eoque Cõsuetud lib. exscribuntur Statuta ann.* 1205. *&* 1208. *non autem ann.* 1237 *&c.*

a *Sex dignitates Priores titulo & potestate, Decanus, Thesaurarius, Præcentor, Magister-Scholæ, Subdecanus, Cellerarius.*

b *Et Servientes Præsentati* jurant,... & *Præpositi* dant eccl.

c *Subaudi* de

d *Gal.* Amende.

Præpositi qui prata dividunt, debent tradere Subdecano Breve Canonicorum, qui ea habent, infra Octavam Pentecostes: quod si non fecerint, cadant à consuetudine dividendi prata, & Capitulum ea dabit plus offerenti.

Si præpositus in Feodo Præpositi aliquid emit, & ante mortem non dederit, remanet Præposito successori; & si in Feodo Capituli, remanet Capitulo; & similiter est de *e* Obedientiariis.

Si *f* Freta sint in præpositura, præpositus cum Obedientiario debet tradere ea plus offerenti, vel quilibet eorum per se, alio tantum sciente. Præpositus non receptus à Capitulo, vel qui non tenet Hospitium, facit officium Septimanarii cantando & legendo. *Sequitur titulus* de officio & pot. Septimanariorum.

Ex eodem lib. Consuetud. tit. de Juramento Majorum & aliorum Servientium.

Quilibet Major potest habere unam quartam, scilicet sexaginta Arpenta, pro quindecim denariis; & debent omnes Majores & alii Servientes esse jurati Capitulo de terris Capituli & Hominibus, aquis, nemoribus, & aliis ad Ballivas suas pertinentibus, & quod stare juri in Capitulo non recusabunt quoties secundum consuetudinem Ecclesiæ fuerint requisiti; & his juramentis debent *g* Clericuli & Juvenes interesse.

Ad Caput libri Statutorum, scripturâ ann. circiter 300. *legitur de Majoribus.* Possunt habere in quarta sua ... usque ad 60. Arpenta, & quidquid ultrà est, remanet Ecclesiæ & Præposito. *De iisdem quoque, & de Tractariis & Grangeriis*: Faciunt Homagia Præpositis, & cum delinquunt, per Capitulum puniuntur.

Catalogum.

e *Obedictiarii vocantur* Firmarii, *tit.* de Festis ab Octavis Paschæ, *&c.* Incipit unus ex Obedientiariis Responsoriũ, *tit.* de Octavis S. *Martini* Æstivalis.

f *Freta, rivi, Gal.* bras d'eau. *Glossar. Cangii.*

g *Tit.* de Clericulis primæ, *&c. occurrunt Clericuli* in Stallo, *&* in terra in 1. 2. 3. vel 4. Statione; Juvenes *quoque* tertiæ & quartæ Stationis.

II.

De Ligia residentia.

pag. 8.

B. *Quid sit Ligia residentia, suprà in rescripto Innocentii* III. *an* 1213. *In B. Martini Tur. Ecclesia sex mensium solarium est.*

Statuta an. 1205. Februarii 17.

Anno quidem 1205. *Hamelinus Cenomanensis & Adam de Persegnia Innocentii* III. *authoritate Ligiam residentiam sanxerant pœna privationis omnium redituum, eorum etiam qui Præposituraram essent; & quod ad Canonicos attinet, septem mensium lunarium residentiam sic statuerant, ut si unus iis mensibus deesset dies, Præbendæ illius anni fructus absenti Canonico perirent.*

Dicuntur nunc Grossi fructus.

Satuta an. 1208. Januarii 27.

Verùm anno 1208. *Galo tum Diaconus Cardinalis & Innocentii Legatus adjecit, ut Priores, nisi sex mensibus residerent per annum, totius anni Præbendarum fructibus privarentur. Post Innocentii rescriptum quidam Præpositi eam tantùm residentiam jurarunt, quam debebat eorum Præpositura; iisque anno* 1237. *concessum, ut in Ecclesia vel Præpositura, modo hìc jura Præposituræ* Fideliter & Utiliter *prosequerentur, per sex menses residerent.*

Statuta an 1237. Augusti 26. Gregorio IX. pont.

Sed omnibus generatim qui Ligiam residentiam debent, ut hanc secundum interpretationem in rescripto Inno-

centii III. *contentam & jurarent & servarent jussere tandem anno* 1263. *Gaufridus Cenomanensis Episcopus, & Philippus Fulcardimontis Abbas Vibani* IV. *authoritate; simulque ut ea residentia sex mensium solarium per annum esset, definierunt: quia nempe sex illi menses, non autem lunares, ut plurimùm sunt major anni pars, seu major hæc mora, quam in Ecclesia faciendam rescripserat Innocentius.* Statuta an. 1263. Februarii 8. *Gal.* Foulcarmont. *Ord. Cist. Diœc. Rothomag.*

Porrò Præpositi omnes Capiceriique, Priores & ceteræ præter Abbatem Cormaricensem & sancti Cosmæ Priorem Dignitates Ligiam residentiam debebant, atque etiam nunc jurant; & si Decanum & Thesaurarium excipis, illam servaturos se secundum præfatam interpretationem Innocentii, nominatim affirmant. Omnes verò, quales etiam hi duo sunt, quibus Præbendarum seu Grossi fructus ratione Dignitatis competunt, eosdem fructus amittunt, quo anno per sex menses solares vel uno die non resident, nisi absentiam ex causa Capitulum excuset. Lib. Consuetud. titulis de corũ officio & por. Jurisjurandi eorum formulæ. *Ex eodem lib. Consuetud. tit.* De Festis ob Octavis paschæ, *&c.*

Priores autem & Præpositi qui per majorem partem anni non fecerint residentiam in Ecclesia, fructu Præbendę privantur, & omnes illi qui jurant Ligiam mansionem; & omnes alii Canonici, si non fecerint residentiam per septem menses lunares: nisi in scholis vel peregrinatione vel alio loco pro negotiis Ecclesiæ, & cum licentia Capituli fuerint.

Ex Statutis anni 1263. *Februarii* 8. *tit.* de residentiis.

[c] Ex lib. Statutor. scripturâ ann. circiter 300.

[a] *In Statutis an.* 1205. *de qua forma modo dixi.*

Circa residentiam verò præcipimus, quod quantùm ad simplices Canonicos forma in [a] antiqua constitutione statuta servetur.

De illis autem qui Ligiam debent residentiam, decernimus quod nullus ad Personatum, Prioratum sive aliud Beneficium pro quo debetur hujusmodi residentia, de cætero admittatur, nisi juret expressè quod Ligiam residentiam faciet secundum formam seu declarationem, quæ super Ligia residentia in Litteris Domini Papæ Innocentii continetur. Si qui autem ad talia Beneficia jam recepti Ligiam non juraverint residentiam, ad ipsam sub forma prædicta jurandam, & tam receptos quam recipiendos ad Ligiam residentiam taliter faciendam per substractionem proventuum suorum à Capitulo decernimus compellendos, & eidem Capitulo dispensandi super hoc adimimus potestatem.

Quod autem a Domino Gallone de sex mensibus residentiæ statutum est, ne ipsius constitutio interpretationi Domini Papæ contradicere videatur, decernimus ut illi sex menses, non per hebdomadas, sed sicut continentur in Calendario computentur.

Si qui verò Hebdomadarii personalem residentiam fecerint in Ecclesia per sex menses, ut dictum est computari eos; nihilominus aliis sex mensibus Hebdomadas suas per se vel per alios teneantur facere in ordine vicis suæ.

De Ecclesia Sancti Martini Turonen.

III.

C. *Beatissimo Martino Episcopo è* [a] *vivis sublato, corpus ejus in* [b] *cœmeterio publico*

[a] An. 397. Sic Bolland° in Actis Sanctorum ad diem 1. Februarii in S. Sigiberto, Cointius in Annal. Eccl. Franc. ad an. 498. n. 6. ex Gregorio. Turon.

[b] Alcuinus hujus Basilicę Abbas, de vita s. Martini. pag. 1401. oper. ipsius Alc.

conditum est, [c] *550. ab urbe Turonensi passibus. Tum locus ille miraculis & peregrinationibus admodum claruit: quare successor S. Briccius Basilicam supra beatum corpus ædificavit, quam angustiorem submovit S. Perpetuus Turonum quoque Pontifex, & ingentem aliam admirandique operis* [d] *extruxit. Hæc Martini nomine* [e] *ubique terrarum celebris, post* [f] *multa incendia & casus restituta semper, in amplissimam eamque antiquitate venerabilem, quæ stat, desiit.*

In ea primùm seu [g] *Clerici seu Monachi Deo famulati sint, sanè olim Monachi erant, ut colligimus,* [h] *trecenti. His substitu-*

c Gregorius Tur. lib. 2. Hist. Franc. cap. 14. lib. 1. de Miracul. s. Martini c. 6. *&c.* S. Bricci' obiit an. 444. *Bolland. ex Gregor. Tur.*

d Hanc s. Perpetuus inchoavit an. 461. absolvit an. 472. *Cointius ad an.* 508. *n.* 4. *ex Gregor.*

e Sidonius Apollinaris Epist. ad Lucontium, Concilium Tur. 2. an. 567. Cabilon 2. an. 813. Diplomata Reg. & Pontif. Sermo s. Odonis Cluniac. de combustione hujus Basilicæ, Quercetanus in eundem Serm. Vitæ s. Bonifacii Mogunt. & s. Odonis, Sigibertus ad an. 465, Nicolaus Claræ vallensis, Papyrius Masso in Sergio III. & alii.

f Quercetanus ibidem. Schedæ veteres Curtini Subscholastici; recentiores Monsnerii, Canonicorum hujus Eccl.

g Gregor. Tur. lib. 1. de Miraculis s. Martini c. *6. &c.* lib. 5. Hist. Franc. c. 14. *&c.*

h Editum à Doctiss. Mabillon. in Elogio Alcuini c. 8. seculo 4. Benedictin. fragmentum Epistolæ Philippi Decani, Rainaldi Thesaurarii totiusque Capituli B. Martini Tur. ad Philippum Archiep. Coloniensem scriptæ, ut mihi videtur, nec ante an. 1176. nec post an. 1184. Vide meas an. superioris Annot. in Epistolam Innocentii III. ad Hamelinum Ep. Cenoman. *&c.*

h An. circ. 95. ex Monsnerio; tardius ex aliis. Confer Chronicon Tur cum iis quæ habet Cointius ad ann. 795. n. 5. 796. n. 134. 802. n. 95.

k Diploma Caroli Calvi an. 848. Cal. Maii

ti [i] *Canonici ad ducentos Caroli Calvi consensu* [k] *redacti sunt. Sed & ejus Ecclesiæ Schola* [l] *floruerat Alcuino Abbate, floruitque* [m] *diu. Iugis* [n] *erat Psalmodia, donec ante annum forte millesimum Canonici vel Præbendæ 150. tantum esse cæperunt, quot* [o] *erant ad tempora ferè Gregorii noni. Nunc etiam plures in ea sunt, quam in aliis Regni hujus Ecclesiis Dignitates Personatusve: sunt Beneficia circiter 230. Multi præterea Beneficiati insignes, Clericique & Parochi, Canonicorum Secularium Collegia* [p] *sex, aliudque* [q] *Regularium, omnia Capitulo Beati Martini omnimode subjecta, inibi locum habent.*

Hæc nimirùm Ecclesia juribus quasi Episcopalibus fruitur, multarumque in Gallia Eccle-

l Monachus Sangallensis. Alcuinus fit hujus Basilicæ Ab. an. 796. moritur an. 804. *Cointius.*

m Seculo etiam XI. Vide Clariss. Franc. de Roye in Can. *Ego Berengarius*, de vita Berengarii. *Launoi. de Scholis celeb.*

n Superius Fragmentum Epistolæ. Donatio Helingaudi Comitis circ. an. 813. Diploma Ludovici Balbi Regis an. 878. in Schedis Monsn.

o Gregorii IX. Mandatum an. 1235. die Decembris 15. *in Statutis anni* 1237.

p Chableïense & Leriacense de quibus annot, I. S. Venantii & s. Petri Puellaris Turonibus, S. Aredii Athanensis & s. Martini Rauzoliensis sive Albusionensis apud Lemovicenses. Turonibus & in variis locis Parochiæ *&c.*

q S. Cosmæ prope Tur. de quo pag. 7. suprà.

ſiarum, [r] *Abbatiarum, Prioratuum* [ſ] *parens eſt. Denique ante annum 903. circa Baſilicam hanc extructæ fuerant plures* [t] *Abbatiæ minores, Xenodochia, Eccleſiæ octo & viginti, Caſtrumque ſeu Martinopolis, in qua Canonici* [u] *præerant, & ſuam* [x] *per multa ſecula monetam cuderunt. Ipſa verò Baſilica erat* [z] *celeberrimum Galliarum azylum.*

Hinc Galliæ Reges fauſtum [a] *belli omen, & inſtar vexilli,* [b] *Cappam S. Martini, palli-*

r Abbatia Cormaricenſis cōdita ab Itherio hujus Baſilicæ Abbate an. 791. *Teſtamēto Itherii. Cointius ad annos* 791. *n.* 49. 800. *n.* 12. Abbatia Monialium Bellimontis O. s. Benedict. ab Herveo hujus Eccl. Theſaurario an. 1007. *Diploma Roberti Regis* 5. *Cal. Octob.*

ſ Prioratus s. Eligii, s. Michaëlis de Guerchia Turonibus, s. Coſmæ Chableïenſis, *&c.* Vide & Sammarthanos tom. 4. Galliæ Chriſtianæ pag. 611. & in præfatis Abbatiis.

t S. Venantii, S. Benedicti, S. Petri. *Diploma Ludovici Traſmarini an.* 938. 5. *Cal. Nov.* S. Joannis Baptiſtæ. *Donatio Ingebaldi Rectoris hujus Abbatiolæ, circ. an.* 955. S. Columbæ, quam dedit Carolus Calvus Vvichardo hujus Eccl. Epiſcopo. *Diploma an.* 852. Carolus Calvus in diplomate an. 855. meminit Eccleſiarum S. Mariæ, Matriculæ s. Martini, S. Stephani, S. Andreæ, S. Columbæ, S. Sulpitii, *&c.* Schedæ Curtini & Monſnerii. Eccleſiæ 28. numerantur in Fragmento ſcripturæ ann. 700. à me edito in Epiſtolam Leonis VII. ad Hugonem magn. & in Hiſtoria Dominorum Ambaſienſium apud Quercetanum in notis ad Serm. S. Odonis, de quo ſuprà.

u Varia Diplomata.

x Diplomata Regum Caroli ſimplicis, Radulphi, Ludovici Tranſmar. Hugonis Capeti, Ludovici Hutini anno 1316.

z Gregor. Tur. Hiſtor. Franc. lib. 4. c. 18. l. c. 14. *&c.*

a Ibidem l. 2. c. 28. *&c.*

b Monachus Sangall. Vvalafridus Strabo, Durandus Mimat.

um nempè [c] *quo Beati Pontificis Sepulchrum operiebatur, accipere soliti. Iam verò* [d] *singuli huc solemni ritu accedere, & ejus Ecclesiæ Canonicos & Abbates se tunc veste, sacramento, cultu, promissa Iurium defensione, datis sæpè muneribus profiteri non destiterunt.*

Ejus quidem [e] *Abbates olim Regulares, at nono decimoque seculis proceres Regni, è Regio sæpè sanguine; tandem ab Hugone Capeto iidem omninò sunt ac Reges nostri. Decani plerique aut juris Antistites, aut regii sigilli Custodes, aut Ecclesiæ Principes, vel purpurati complures. Nil dicam de reliquis; nihil de peculiaribus quondam ipsius Episcopis,* [f] *quos varii retulerunt; de Cathedralis jure, quo illam frui voluere* [g] *summi Pontifices; de Patriarchalis nomine,* [h] *quo usa est, & à Francisco primo Rege* [i] *condecoratur: de societate quam junxit cum multis magni nominis* [k] *Ecclesiis, quales Antissiodorensis, Moguntina, Compostellana, Hierosolymitana; & ab*

c Schedæ Monsnerii cū Actis Translat. Cap. S. Martini an. 1323.

d Eædē Schedæ & acta Capitularia.

e Varia Diplomata & monumenta Schedæ Monsnerii. Sammarthani & alii.

f Diploma Caroli Calvi an. 852. Annales Misciacenses tom. 2. Bibliothecæ novæ Labbæi p. 791. Schedæ Curtini & Monsneri ex variis monumentis.

g Joannes XXII. an. 1330. Paulus II. an. 1464. Vide Diplomata.

h Inscriptio Breviarii hujus Eccles. editi an. 1493. Patriarchalis in ejus Choro Sedes designatur in Rituali ms. post. initium nostri seculi.

i Sic in instrumento seu Literis an. 1521. Novembris 20.

k Liber Consuetudinum, Scheda vetus, de qua pag. 13. Variæ Epistolæ, Acta. Schedæ Monsnerii

anno 1689. l *cum Canadensi, Persica, Sinensi & aliis quas Episcopi cæterique Galli à Sede Apostolica in Indiam Asiamque missi aut fundarunt, aut regunt regentque. Alibi plura. Vide & suprà, in annot. ad rescriptum Innocentii III. pag. 12. &c.*

l Acta Capitularia ann. 1688. 1689. 1691. 1694.

In omnem terram, *de S. Martino dicebat Nicolaus Claravallensis, qui & S. Bernardo ab Epistolis fuit,* pervagata est memoria tanti Pontificis, & ubicunque resonat Fides Christi, sonat vita Martini. Glorificatur Imperator in milite, laudatur miles in Imperatore. Testatur hoc Turonensis Ecclesia Thesaurum corporis ejus continens, quæ possessiones suas extendit à mari usque ad mare, quam fœcundaverunt Reges & ornaverunt Principes, cui Romani Pontifices summæ libertatis fastigia providerunt.

Serm. de s. Martino inter opera Petri Damiani Card. tom. 2. pag. 133.

IV.

De Juramento Præpositorum.

D. *Anno elapso ad Alexandri* III. *Epistolam, de qua nuper* [a] *annotatione prima consuetam edidi jurisjurandi Præpositorum formulam, quæ caractere annorum est circiter* 300. *& quoad sensum eadem ac illa quæ Honorio* III. *Pontifice in usu erat & ad prædictam annotationem suprà* [b] *exscribitur ex lib. Consuetudinum. Pauca tantum ad finem de Statutis servandis adjciuntur.*

a Pag. 19.

b pag. 20.

V.

Cur Præpositus de Valeriis consulat Honorium III.

E. Quia Præpositus de Valeriis interdùm in B. Martini Turonensis Ecclesia residere non poterat eo residentiæ genere, Ligiæ nimirùm, ad quod sese jurejurando astrinxerat, verebatur ne in solemnem Ligiæ residentiæ interpretationem paucis ante annis rescripto Innocentii III. *sancitam peccaret : seu quod, quæ prima hujusce definitionis pars est*, Hospitium cum familia competenti *in eadem Ecclesia non haberet: seu quod, quæ pars altera, sibi videretur* Alicui.. alii Ecclesiæ, *cum in sua Præpositura morabatur*, deservire; *seu potiùs quod aliquando per majorem anni partem in hac ipsa Ecclesia consistere non posset, & quod idem est, ac postremum interpretationis Innocentii caput*, Majorem moram facere *non posset* ibidem quam in locis aliis universis : *quia nempè ipsum negotia Præpositurae aliò vocabant. Quæ quidem expositio magis arridet, cum etiam* residere interdùm in Ecclesia memorata *se* non *posse conquestus cum Honorio absolutè videatur.*

v. pag. 9.

Appendix *ad pag.* 6. & 7.

Quot diebus Solemnioribus Decanus Officium debet.

IN Beati Martini Tur. Ecclesia Decanus ex lib. ms. Consuetudinum, & Capitulari supra decreto an. 1220. *atque etiam nunc debet primæ classis Officium diebus Festis tantum quinque ibidem nuncupatis; non autem Corporis Christi* [a] *instituto an.* 1262. *non Assumptionis B. Mariæ, de quo* interrogandum [b] *relinquit Carolus Magnus; non denique omnium Sanctorum, qui dies in hac Ecclesia ex lib. Consuetudinum est secundi tantum ordinis, id est quinque Candelabrorum: cœpit autem esse 7. Candelabrorum, sine* [c] *tamen octava, anno* 1406.

[a] Bullarii t. 1. pag. 146.
[b] Lib. 1. Capitularium c. 158. ex edit. Docciss. Balusii. Vide Cointium ad an. 798. n. 62. &c. Doctiss. Thomassin. lib. 1. de Festis c. 6.
[c] Breviaria MSS. ac edita vet. & nova.

Decretum Capituli B. Martini Tur.

De die Festo Omnium Sanctorum.

Ex actis Capitularibus an. 1406. Octobris 30.

DIe penultima mensis Octobris, Domini mei attendentes [d] Festum omnium Sanctorum, veluti Festum Nativitatis Domini per universum orbem celebrari; (quod si quidem Festum in præsenti Ecclesia pro Festo Annali minimè repu-

[d] *De Festo O. SS. vide Thomassin ibid. lib. 2. c. 21. Baron. &c.*

e De 7. & 5. Candelabr. vide suprà, pag. 19.

tabatur, sed solum de e quinque Candelabris celebratur, & est celebrari consuetum) & ob hoc in honorem Dei, Virginis Gloriosæ Genitricis ejusdem, & omnium Sanctorum, dictum Festum sicut diem Nativitatis Domini celebrari ordinaverunt, & pro Festo Annali in hac Ecclesia amodò nominari & reputari, cæteris notabilibus Ecclesiis inhærendo, decreverunt.

HÆC edebam, SERENISSIME PRINCEPS, *mox in provinciam Lemovicensem Capituli nomine iturus. Vale. Condomii, quò me Illustrissimus* [a] *illius urbis Episcopus duxerat ex Capituli nostri Sententiâ, Calendis Julii An.* M. DC. XCV.

a Lud. Milon Eccl. B. Martini Tur. Canonicus quondam Præbendatus, nunc Honorarius.

CONDOMII,

Apud JACOBUM DESTADENS, Typographum & Bibliopolam, Illustrissimi Episcopi ac Domini Condomiensis, Urbis & Collegii.

[illegible]